

ram illi Tuam praestabis, non fieri non potest,
 quin et Tuae doctrinae opes eadem haec
 opera sit locupletatura, vtque tot praeclaros
 codices Biblioth. Reg. Madrit. quorum Iriarte
 V. C. gustum dedit, sis excusurus. Ad quod iter
 ingrediendum cum nunc sis accinctus et tan-
 tum non in ipso discessu constitutus, faciamus
 id, quod amici et familiares in discidio et
 disiunctione longinquae profectionis facere
 solent, vt nouissima confabulatione de com-
 munibus rebus ac curis paullo diutius se de-
 tineant et hanc vltimi sui congressus dulcem
 recordationem secum auferant.

Video Te constituisse studium Tuum et ope-
 ram Quinto, quem, cum tanta eius utilitas ad
 Homerum ornandum esse posset, tamdiu negle-
 ctum iacere, saepe conquesti sumus; cum inte-
 rea virorum doctorum ingenia exercearentur in-
 terdum in scriptoribus longe inferioris ordi-
 nis. Quid tamen conquerimur de Quinti
 sorte, cum Homeri fortuna multo magis
 deploranda sit. Si quis erat scriptor, in quo
 diligentius tractando et, quam maxime fieri
 posset, seu ad criticam regulam exigendo seu
 liberali interpretatione illustrando, ingenia
 recentiorum desudare deberent, erat Homerus,
 omnium litterarum a Graecis ad nos dedu-
 ctarum fons et auctor, antiquitatis, philoso-
 phiae, religionum antiquarum promus con-
 dus; in cuius interpretatione recte instituta
 omnis bona litterarum sacrarum interpretatio
 praefidia habet certissima; quam parum ta-